

perfectam conversionem; deinde ut intellectus per fidem voluntatem excitet, necesse est prius ipsum excitari, nam solus fidei habitus ad hoc non sufficit, quia si homo sit tantum in actu primo, et quasi dormiens in usu talis habitus, non potest incipere illo uti, nisi divinitus excitetur, propter rationem in præcedenti assertionem factam, quæ eodem modo hic locum habet, quia habitus non magis excitat potentiam quam species præcedentis excitationis in memoria relicta, quia habitus solum deservit ad constituendam potentiam in primo actu, et ad cooperandum illi per modum gratiæ adjuvantis, quando elicit actum, non vero ad excitandum formaliter et vitaliter potentiam, tota enim inchoatio habitus est dormientis, ut sic dicam, non vigilantis, qualis in motibus gratiæ requiritur, et ideo nunquam potest excitatio ab ipso habitu initium sumere; sicut potentia ipsa naturalis intellectus vel memoriæ est naturaliter propensa ad suum actum, tamen non potest illum inchoare, nisi aliunde excitetur vel applicetur. Idem ergo est cum proportionem de ipso actu fidei, seu de homine illum habente.

14. *Obiectio.* — *Confirmatur.* — Objici vero potest quia, in eo qui jam credit, excitatio ipsius fidei sine nova excitatione voluntatis ad credendum fieri potest per solam novam apprehensionem et memoriam objecti fidei, quia potest naturaliter fieri occurrente objecto externo sufficiente ad excitandas species, et memoriam mysteriorum fidei; ergo hæc sola excitatio quasi externa sufficit ut homo postea, per actum fidei, possit seipsum excitare cum sola gratia adjuvante ad contritionem habendam. Et confirmatur, nam licet homo indigeat tunc aliqua inspiratione, si illam facit vel impetrat ex vi fidei, jam illa non erit gratia excitans, quam Deus in nobis sine nobis operatur.

15. *Responsio.* — *Assensus fidei considerari potest speculative et practice.* — Respondeo ad priorem partem, assensum fidei dupliciter posse considerari. Primo, quasi speculative tantum, ut est assensus cujusdam veritatis. Secundo practice, ut suadet voluntati conversionem; est enim fides eminenter practica et speculativa, ut suppono. Priori modo probabile est peccatorem assuetum ad credendum, posse cum externa propositione objectorum fidei excitari sufficienter ad exercendum actum fidei, quia objectum illud statim offertur ut credibile, et intellectus jam est sufficienter constitutus in actu primo ad eliciendum se-

cundum cum communi concursu, seu auxilio gratiæ cooperantis, præsertim quia, ut supra libro 2 dixi, probabile est ad illud exercitium fidei non semper esse necessariam voluntatem supernaturalem, sine qua ille actus fidei non est practice et moraliter (ut sic dicam) supernaturalis, sed speculative tantum et intellectualiter, ad quod sufficit intellectuale lumen infusum, habens communem concursum gratiæ paratum et objectum sufficienter propositum, et applicatum ad operandum per quamcumque voluntatem, de quo in tertio puncto plura dicam. At vero practice non potest actus fidei, præsertim mortuæ, sufficienter applicari ad excitandam voluntatem ad veram conversionem, ad pœnitentiam agendam, nisi divina gratia excitans circa usum ejusdem fidei intercedat, tum applicando fidem ad iudicium practicum et illuminando intellectum ad consideranda motiva supernaturalia apta ad commovendam voluntatem, tum ex parte voluntatis, quæ per se impotens est ad talem conversionem, et per peccatum privata est spiritualibus donis, et per conversionem ad creaturas est debilior facta. Et ideo licet verum sit actum fidei mortuæ aliquid posse juvare, eo quod etiam actus ille sit ex gratia, nihilominus etiam divina inspiratio necessaria est.

16. *Ad confirmationem supra num. 14.* — Ad alteram partem, respondeo imprimis non esse contra rationem gratiæ excitantis, quod possit cadere sub aliquo merito, quando non est prima gratia excitans, sed aliam supponit. Cum enim gratia excitans dicitur fieri in nobis sine nobis, solum excluditur nostra cooperatio libera in ipsomet actu gratiæ excitantis, juxta superius dicta; non tamen excluditur omnis prior causa moralis ex parte hominis cum priori gratia operantis, et alteram excitationem impetrantis, tanquam gratiam pro gratia. Hoc enim non est contra communem rationem gratiæ, imo pertinet ad ejus virtutem et perfectionem, ut in libro sequenti, capite 12, latius dicam. Neque etiam est contra peculiarem rationem gratiæ excitantis, quia licet præcedat aliqua hominis consideratio, vel meritum, vel impetratio, nihilominus id quod datur, potest esse sola gratia præveniens, et Spiritus Sancti impulsus, qui nec ab libertate hominis proxime pendeat, neque per se primo in ejus potestate existat. Sic ergo in præsentem fieri potest ut inspiratio proxime voluntatem excitans et adjuvans ad pœnitentiam, licet in se vera gratia sit, non detur nisi consideranti vel appetenti ex fide. Tunc autem

necessarium erit ut præcedat inspiratio, quæ fidem ipsam excitet et applicet practice ad sic petendum, quæ tunc erit prima in illo ordine, ac proinde omnino gratuita, et cum illa saltem mediate detur propter pœnitentiam, etiam ratione illius verum erit peccatorem fidelem non converti ad pœnitentiam sine excitatione gratiæ, gratuita omnino ac præveniente.

17. *Assertio tertia circa tertium punctum difficultatis.* — *Justus ad opera pietatis eget gratia excitante ad duos præsertim effectus.* — Tertio, dicendum est hominem justificatum indigere, etiam in suis operibus pietatis, gratia excitante; hæc assertio quoad aliquid videtur certa, quoad aliquid vero solum probabilior, juxta varios effectus ad quos talis gratia in homine justo desiderari potest. Unus est perseverantia in gratia usque ad mortem, vel longo tempore; ad hanc enim non sufficient habitus nisi divina protectio intercedat, ut sumitur ex Concilio Trident., sess. 6, cap. 11 et 13: et supra in libr. 2 probatum est, et infra tractando de bono perseverantiæ latius dicitur. Alius effectus est particularis victoria alicujus gravis tentationis, vel (quod idem est) certa ac definita observatio præcepti, ubi magna difficultas occurrit; tunc enim est peculiare Dei auxilium necessarium, juxta supra dicta in libro 1 et 2; doctrina enim ibi data communis est hominibus lapsis, tam justis quam peccatoribus; nam testimonia ibi adducta indifferenter de his hominibus loquuntur.

18. Rationes vero æque de utrisque procedunt, quia soli habitus infusi parum ad difficultates superandas conferunt, nisi homo, qui illos habet, divinitus adjuvetur, quod adjutorium ab excitante gratia præcipue incipere debet, quia, ut dixit Bernardus lib. de Grat. et liber. arbitr., *conatus liberi arbitrii, et cassi sunt, si non adjuventur, et nulli, si non excitentur.*

19. *Notandum primo.* — Circa hos vero effectus, observare oportet non solum internam gratiam excitantem, sed etiam externam excitationem vel protectionem posse ad illos multum juvare, ideoque magna ex parte posse hanc excitationem per providentiam gratiæ suppleri, vel minui necessitas gratiæ excitantis ad hujusmodi effectus. Nam si Deus, sua speciali providentia efficiat ut justo pauciores occasiones peccandi occurrant, paucioribus etiam internis excitationibus indigebit ad perseverandum; et simili modo, si Deus efficiat ut tentatio vel persuasio ad malum non sit vehe-

mens nec diuturna, fieri potest ut possit vincitatio cum communi adjuvante gratia, sine alia speciali excitatione; et ideo Augustinus sæpe multum commendat hanc divinam protectionem, et inter auxilia gratiæ illam ponit, eique effectum præservandi hominem ab aliquibus peccatis tribuit, ut videre licet in Soliloquiis, cap. 15 et 16, quæ vel sunt Augustini, vel ex sententiis ejus desumpta, et ita fere eadem verba habentur in lib. 50 Homiliar., in 23, cap. 6, ubi sic ait: *Hoc dicit tibi Deus tuus: Regebam te mihi; ut adulterium non committeres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci; locus et tempus defuit, ut hæc deessent, ego feci: adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentiret, ego tenui: vel ut in Soliloquiis habetur: Sed ut non consentirem, tu me tenuisti; sed in idem redit, nam terrendo hominem, Deus tenet illum ne consentiat, et utroque modo gratia excitans indicatur.*

20. *Notandum secundo.* — Simili modo observari potest circa duos dictos effectus, interdum posse fieri per gratiam excitantem appetitum sentientem vel moderantem affectum ejus, aut phantasiam illius commoventem: nam, ut dixi in fine capitis præcedentis, gratia excitans interior etiam in internis potentiis sensitivis sæpe operatur. Unde cum ab his sæpissime pendeat vel tentationis gravitas, vel propensio ad peccandum, fieri optime potest ut per internam excitationem in portione inferiori factam, eo ipso confortetur voluntas ad non consentiendum, non tam per positivam virtutem, quam in se recipiat, quam per ablationem difficultatis, ex motu appetitus provenientis. Quanquam verum sit motionem gratiæ factam in appetitu sensitivo non posse non redundare in voluntatem, saltem per sympathiam naturalem, dicimus fieri posse ut non sit necessaria specialior excitatio in voluntate, quam sit illa quæ per appetitum insurgere potest. Et interdum fieri potest ut sufficiat sola moderatio concupiscentiæ sensitivæ, vel apprehensio phantasie, licet nulla positiva motio in voluntate redundet, sed sola ablatio difficultatis in objecto, ut dictum est. Hæc autem locum habent ubi, ablata difficultate, potest præceptum impleri, vel peccatum vitari per actum naturalem; nam si supernaturalis necessarius sit, ad punctum sequens pertinebit.

21. *Effectus gratiæ excitantis in ordine ad actus meritorios.* — Tertius effectus gratiæ in justis considerari potest in ordinario modo

operandi actus fructuosos, seu meritorios justitiæ. In quo imprimis certum est frequentem Dei inspirationem et excitationem utilissimam esse justis ad hæc opera præstanda, et ad proficiendum per illa in via virtutis et sanctitatis; ipso fere experimento constat, et ideo fideles frequenter a Deo petunt hujusmodi inspirationes, et quo sanctiores, eo anxius illa desiderant: ideo in Scriptura sacra, præsertim in Psalmis, hujusmodi petitiones frequentes sunt. Ex quo etiam intelligimus hoc genus gratiæ esse moraliter necessarium ad frequenter et cum spirituali fructu hæc opera præstanda.

22. *Ampliatur et probatur ulterius assertio tertia.* — *Ad singula opera pietatis in justificatis, excitans gratia, prout abstrahit ab efficaci et inefficaci, est necessaria.* — Difficultas vero est an ad singula opera pietatis sit excitans gratia necessaria in nobis justificatis? Et in hoc sensu negant hujus gratiæ necessitatem auctores tertiæ opinionis, et paucos invenio contradicentes. Valentia tamen supra, propositione 3, videtur oppositum sentire, quamvis non dicat expresse hanc gratiam esse necessariam, sed habere locum in his actibus justorum. Clarius hoc sentit Vasquez, et consequenter loquendo cogitur id affirmare, nam ipse docet hominem per vires liberi arbitrii non posse efficere bonum actum moralem ordinis naturæ sine excitante gratia, quam vocat cogitationem congruam, et gratiam ordinis naturalis; ergo consequenti ratione in homine justo erit necessaria cogitatio congrua ad singula opera supernaturalia, seu pietatis, quæ erit gratia ordinis supernaturalis. Ex hoc tamen discursu solum concluditur illam cogitationem congruam esse necessariam ut actus fiat, non tamen ut fieri possit, quia cogitatio congrua, eo modo quo est gratia, pertinet semper ad gratiam efficacem, sine qua datur potestas operandi. Hic autem generatim loquimur de necessitate hujus gratiæ, ut possit justus operari, sive sit efficax, sive sufficiens tantum. Item tota ratio gratiæ juxta illam sententiam ponitur in congruitate cogitationis, non in cogitatione ipsa, seu substantia ejus (ut sic dicam); nos autem a congruitate abstrahimus, et de excitatione inquirimus, sive sit congrua, sive non.

23. *Probatur ratione desumpta ex Augustino.* — Aliter igitur argumentor Augustini fere discursu in lib. de Prædest. Sanct., cap. 2 et seqq., et lib. de Grat. et liber. arbit., c. 7, quia ad pie operandum necessario præcedere debet pia cogitatio, etiam in homine justifi-

cato; sed pia cogitatio non potest incipere in nobis a nobis, etiam post justificationem; ergo debet incipere ab Spiritu Sancto, et consequenter ad gratiam excitantem pertinet; ergo saltem hoc titulo indiget justus gratia excitante ad singula opera pietatis. Major evidens est, quia operatio pia includit pium actum voluntatis: voluntas autem moveri non potest sine proportionata cogitatione intellectus, et ideo pia voluntas necessario supponit piam cogitationem. Minor autem probatur ex Paulo, ad Philip. 2 dicente: *Deus est qui operatur in nobis, et velle et perficere*, quod ideo dictum est, quia sine illo excitante non possumus habere voluntatem bonam, ut dixit Augustinus, lib. 2 de Peccat. merit., cap. 18. Item ex eodem Paulo, 2 Corinth. 3, dicente: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, ubi imprimis Paulus non de solis peccatoribus, sed maxime de justis loquitur; imo etiam de seipso, cum dicat: *Non sumus sufficientes*, et infra subjungat: *Qui idoneos nos fecit ministros novi Testamenti*. Nec etiam loquitur de cogitatione congrua, sed absolute de cogitatione pia et sufficienti; nam simpliciter dicit: *Non sumus sufficientes aliquid cogitare*, et postea subdit: *Sed sufficientia nostra ex Deo est*. Loqui autem ibi Paulum de cogitatione pia, id est, quæ ad bonam etiam voluntatem sufficiat, supra libro 2 late a nobis ostensum est; ergo etiam justis, ut bene operari possint, necesse habent ut initium sanctæ cogitationis a Deo recipiant. Sed sancta cogitatio est gratia excitans, quando est prima, nam a Deo mittitur, et non a nobis procedit; ergo hæc excitatio etiam justis necessaria est ad singula opera pietatis.

24. *Probatur secundo ex Tridentino.* — Secundo, probari potest hæc sententia ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 16, ubi, de justificatis hominibus loquens, inquit: *Cum Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona ipsorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, etc.*; gratia autem quæ antecedit opera, non videtur esse nisi gratia excitans. Video dici posse per gratiam antecedentem intellexisse ibi Concilium ipsos habitus virtutum infusarum. Verisimilius tamen loqui videtur de actuali motione gratiæ, nam loquitur de justificatis, in quibus jam supponit justitiam eis donatam, per quam Christo tanquam viti sicut vivi palmites uniti sunt, et in eos

sic justificatos dicit influere virtutem; loquitur ergo de influxu actuali, quod etiam optime intelligitur persistendo in metaphora, nam vitis non dicitur influere virtutem in palmites, quia substantiam (ut sic dicam) vel potentias illis tribuit, sed quia succum, vel alimentum, vel aliquid simile, quo nutriantur, et augeantur, et fructum ferant, in illos influit; ergo in eodem sensu dicit Concilium influere Christum in justificatos virtutem antecedentem, comitantem et subsequentem, ad bene ac meritorie operandum.

25. *Probatur tertio auctoritate Patrum.* — Præterea, est optimum testimonium Cœlestini Papæ in Epistol. ad Episcopos Galliæ, c. 8, dicentis: *Omnia studia, et omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit*. Ne vero quis sufficienter dicat donare per habitualement et adjuvantem gratiam, ulterius pergat et consideret testimonium Zosimi Papæ, quo Cœlestinus suam sententiam confirmat: *Nos autem, instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur), ad fratrum Episcoporum nostrorum conscientiam universa retulimus, quæ verba Africani Patres, ut ibidem refertur, ita expendunt: Quid tam libero fecisti arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti, et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti? Ideo utique quia præparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium*. Quo unico testimonio videtur hæc sententia confirmari auctoritate duorum Pontificum, et unius Concilii Africani, quibus accedit etiam Prosper, qui libro contra Collator., cap. 10, hoc etiam testimonio utitur contra Cassianum et alios. Est autem in illis verbis ponderandum sermonem esse de fidelibus, et per hoc imprimis improbari primam et secundam sententiam, et duas primas assertiones nostras confirmari. Deinde etiam, quia indefinite dicit, *suorum corda fidelium*, justos etiam comprehendit, imo illos maxime qui illi maxime sunt fideles, et quos Deus ut suos præcipue gubernat. Quod etiam aperte colligitur ex testimonio Pauli, quod idem Concilium statim adduxit. *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Deinde ponderandum est illud: *Ut aliquid boni agant, paternis inspirationibus suorum tangit corda fidelium*. Nam in hoc casu supponunt Africani Patres, sine hujusmodi ins-

piratione nihil boni posse agere etiam fideles et filios Dei, ac proinde ad singula opera pietatis indigere justos divina gratia excitante. Unde de hoc eodem auxilio loquuntur, cum subjiciunt: *Ut nostrum sentiamus deesse arbitrium, et in bonis quibusque ac voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium*.

26. *Alia Patrum testimonia.* — Atque in hunc modum possunt, ad comprobendam hanc sententiam, referri omnia testimonia quibus libro 4 usi sumus ad probandum nullum opus bonum posse ab homine fieri sine auxilio gratiæ Dei, quæ ita exposuimus, ut de pietatis operibus omnibus et singulis intelligantur. Nam doctrina illa generalis est ad justos et injustos, perfectos et imperfectos, quia de omnibus et singulis operibus pietatis traditur, sine ulla personarum vel statuum distinctione. Et ex vi illius doctrinæ nullus Catholicus audebit dicere, posse justum exercere actum fidei vel charitatis sine gratia Dei, non tantum habituali, sed etiam actuali saltem adjuvante; ergo signum est sub illa universali doctrina etiam opera pietatis justorum comprehendit, in quibus propterea etiam locum habet sententia Augustini, l. 2 de Peccat. merit., c. 18: *Sine Deo excitante et adjuvante, nihil possumus*. Imo idem Augustinus expresse de justificatis eodem modo loquitur libro de Natur. et Grat., c. 26, ubi habet illam celebrem sententiam: *Sicut oculus corporis, etiam planissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere*; et prius dixerat, *ut pie semper justeque vivatur*, ubi ponderanda est comparatio et verbum illud, *non potest cernere*, quod denotat tum necessitatem ad singula opera, sicut ad singulos actus videndi, tum etiam necessitatem adjutorii antecedentis, quod in suo genere dat potestatem operandi, sicut in oculo et luce contingit. Simili modo, libro de Grat. et liber. arbit., cap. 6, de homine justificato ait necessarium esse illi ut ambulet cum illo gratia, et incumbat super istam, ut recte vivat, ubi utrumque auxilium indicat § *Denique*. Alii autem Patres et Concilia gratiam illam, quam universe ad opera pietatis requirunt, declarant per inspirationes et illuminationes divinas, et per motiones prævias, quibus præparatur voluntas a Domino, et per initium bonæ voluntatis et operationis, quæ omnia excitantem gratiam significant. Et hoc etiam confirmant illæ sententiæ Cou-